

61. Mennas II.
62. Ephraem.
63. Philotheus.
64. Zacharias.
65. Sanutius II.
66. Christodulus.
67. Cyrillus II.
68. Michael I.
69. Macarius II.
70. Gabriel II.
71. Michael II.
72. Joannes IV.
73. Matthæus I.
74. Joannes V.
75. Cyrillus III.
76. Athanasius III.
77. Gabriel III.
78. Joannes VI.
79. Theodosius II.
80. Joannes VII.
81. Joannes VIII.
82. Benjamin II.
83. Petrus IV.
84. Marcus III.
85. Joannes IX.
86. Gabriel IV.
87. Matthæus II.
88. Gabriel V.
89. Joannes X.
90. Matthæus III.
91. Gabriel VI.
92. Michael III.
93. Joannes XI.
94. Joannes XII.
95. Gabriel VII.
96. Joannes XIII.
97. Gabriel VIII. hic est, qui, ut superius diximus, ad Clementem VIII. litteras direxit, & Romani Pontificis agnovit Primatum.
98. Marcus IV.
99. Joannes XIV.
100. Matthæus IV.
101. Marcus V.
102. Matthæus V.
103. Joannes XV. hic est, qui, ut referunt Bollandiani Operis continuatores ex Epistolis a Patre Bernaruo Societatis JESU scriptis, Christma, quod ducentis abhinc annis factum non fuerat, magno apparatu celebravit, anno millesimo septingentesimo tertio.

D. Habuitne Ecclesia Antiochena, quæ, ut mox observasti, sæculo septimo in Saracenorum potestatem venit, eandem insaufam in serie suorum Patriarcharum sortem, quam sub illorum Barbarorum jugo passa est Ecclesia Alexandrina?

M. Immo deploratio quadantenus fuit sæculis septimo & octavo, aliisque sequentibus Ecclesie Antiochenæ status, quam Alexandrinæ. Id siquidem habuit Ecclesia Alexandrina præ Antiochena Sede, quam Eutylianæ, & Jacobiticæ sectæ homines occuparunt, quod Ecclesia

Alexandrina Hæreticos quidem & per vim intrusos, Episcopos tamen, semper habuit aut in ipsa Urbe, aut in Monasteriis, quia statim ac Ægyptus in Arabum potestatem venit, integram Patriarchæ sectæ Jacobiticæ in Christianos ejusdem sectæ auctoritatem recuperarunt, eamque jugiter conservarunt. Contra vero Jacobitæ Antiocheni, cum ab Imperatoribus Christianis Urbe pulsi fuissent, eaque sæpe illorum armis recepta fuerit, vix unquam conquieverunt, & pauci admodum inter illos aliqua doctrinæ laude floruerunt. Quocirca miram nemini videri debet, quod de illorum rebus vix quidquam occurrat, adeo, ut successio Patriarcharum Antiochenorum a septimo Ecclesie sæculo ex certis Monumentis, nulla ratione texti possit, ne Græcorum quidem, cum hiulci sint multis in locis eorum Catalogi. *Nicephorus* in Anastasio II. seu juniore, Patriarcha Antiocheno, qui, ut observavimus in Colloquio quarto in Historiam sexti Ecclesie sæculi, postquam sedisset annos duodecim, Martyrio sub *Phoca* Imperatore coronatus est anno DCIX. vel, ut alii volunt DCX. in hoc, inquam, Anastasio II. *Nicephorus* claudit Catalogum Patriarcharum Antiochenensium, eo potissimum nomine, quod ab eo tempore Episcopi plerumque Hæretici eam Sedem occuparint, quorum nulla ad nos notitia pervenit. Vehementer itaque optandum esset, ut hi, qui nunc rerum Ecclesiasticarum Monumentis investigandis, atque illustrandis tanta diligentia & summo Republicæ literariæ emolumento incumbunt, eandem in texenda & in præclaro ordine collocanda Patriarcharum Antiochenorum serie Provinciam in se susciperent, qua Cl. *Eusebius Renaudotius* in serie digerenda & Historia Patriarcharum Alexandrinorum concinnanda tam egregie, tamque laudabiliter defunctus est. (a)

„ (a) Quod hic summis votis exoptat V. Cl. „ nostra tandem ætate completum est, & quidem „ plusquam desideraverat abundantius; nam „ *Assémanus* *Bibliot. Orient. Tom. 2. pag. 321.* „ &c. ex *Chronico inedito Abulpharagii* aliisque „ Syriacis Arabicisque Scriptoribus seriem textit „ Patriarcharum Antiochenorum usque ad *Ignatium XII. Libanotam*, qui eam dignitatem „ anno Christi 1493. obtinuit. Cæteros vero ad „ jecit in brevi Catalogo in fine ejusdem voluminis „ appposito, ad usque *Ignatium XXVI. qui* „ & *Isaac*, anno 1721. supersititem quo tempore „ hæc scribebat. Eandem telam *Bollandi* continuatores, „ seu potius ex eorum cœtu *P. Petrus Boscchius* retexit, qui tamen profecisse se ex „ *Assémano* ultro fatetur. Vide *Prolegomena* ad „ *Tom. IV. Julii.*

D. Extat ne adhuc Catalogus Episcoporum, qui Ecclesie sæculis septimo & octavo Sedem Hierosolymitanam tenuerunt?

M. Hierosolymitanos Patriarchas usque ad *S. Sophronium*, qui, ut mox dicemus, decessisse ex hac vita anno DCXXXVII. nominatos quidem certa serie habemus; cæterorum vero post *Sophronium* Patriarcharum Hierosolymitanorum nomina,

na, usque ad Latinorum in terram sanctam sæculo undecimo adventum, vix quidem cognita sunt. Id autem accidit, quia gementibus sub duro & barbarico Saracenorum jugo Ecclesiis Syriæ & Ægypti, atque cum primis Hierosolymitana, quæ a Saracenis capta est anno DCXXXVII. nemo fuit, qui Patriarcharum Hierosolymitanorum successionem investigaret, nisi postquam undecimo sæculo victoribus latinorum armis, Duce *Godefrido Bullonio*, liberata Urbs sancta est, & Christianorum cultus tandem hic intermissus cœpit caput attollere. Seriem dedimus in præcedentibus nostris Colloquiis Patriarcharum, qui Sedem Hierosolymitanam tenuerunt usque ad Patriarcham, qui appellabatur *Amos*, quique obiit anno DCI. Patriarchæ *Amos* in Sede Hierosolymitana successit *Ischius*, vel, ut alii dicunt, *Isaacius*, cui *Nicephorus* in *Chronico*, & *Tabulæ Theophani* inserat octo annos assignant, ac proinde mortuus est anno DCIX. *Ischius*, seu *Isaacio* successit *Zacharias*, qui anno DCXIV. capta a Persis Hierosolyma captivus ductus est, eoque in captivitate abducto, *Modestus* Presbyter tanquam *Zachariæ* Vicarius Ecclesiam Hierosolymitanam rexit, ut probat *Baronius* ex antiquo Monacho in Epistola ad *Eustathium*, idque etiam liquido colligitur ex Auctore Anonymo cœvo, qui *Vitam Sancti Anastasii* Persæ scripsit; ibi enim, juxta versionem *Bollandi* ad diem XXI. mensis Januarii de *Modesto* Presbytero dicitur: qui eo tempore *Vicarius erat Apostolici Throni*, scilicet Hierosolymitani. *Modestus* itaque Ecclesiam Hierosolymitanam tanquam *Zachariæ* Vicarius rexit usque ad annum DCXXXIX. quo anno *Zacharias* e captivitate redux, Sedi suæ Hierosolymitanæ restitutus est. Verum *Zacharia* mortuo anno DCXXXI. *Modestus* ejus antea *Vicarius* in Sede Hierosolymitanam subrogatus est, eamque tenuit usque ad annum DCXXXIII. In Mensis Græcorum colitur *Modestus* ad diem XVI. mensis Decembris. Duæ adhuc supersunt orationes a *Modesto* scriptæ; una in unguentum ferentes *Mulieres*; altera, in occursum, quæ referuntur a *Photio* in *Bibliotheca*, Codice CCLXXV. *Modesto* in Sede Hierosolymitana successit *Sophronius*, qui Monothelitarum Hæresis fuit acerrimus insectator, eamque in Synodo a se Hierosolymis convocata damnavit. Mortuus est anno DCXXXVII. quo a Saracenis Hierosolymorum Urbs capta est. Illius *Vitam* ex variis Scriptoribus collectam *Bollandus* recitat ad diem XI. Martii, qua die celebris est ejus cultus tam apud Græcos, quam apud Latinos. De Operibus *S. Sophronii* Patriarchæ Hierosolymitani commodius agemus in Colloquio quinto. *Nicephorus* in suo *Chronico* nomen tantum *Sophronii* memorat, & in eo Patriarcharum Hierosolymorum Catalogum claudit; quo fit, ut modo seriem Patriarcharum Hierosolymitanorum, qui hanc Sedem post *S. Sophronium* tenuerunt, usque ad Latinorum in terram sanctam sæculo undecimo adventum ignotam pene habeamus. Legendus tamen est *Tractatus Preliminaris*, quem *Papebrochius* præmi-

fit ad tom. III. Mensis Maji, in quo Catalogum texuit Patriarcharum Hierosolymitanorum a *S. Jacobo* fratre Domini Primo Hierosolymorum Episcopo usque ad *Dositheum*, qui an. MDCLXXII. Synodum Hierosolymis celebravit pro asserenda reali præsentia Corporis Christi in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, cujus Acta Parisiis typis excusa Græco-latine habentur.

D. Fuitne etiam interrupta series Patriarcharum, qui sæculis Ecclesie septimo & octavo Sedem Constantinopolitanam tenuerunt?

M. Sedes Constantinopolitana sæculis Ecclesie septimo & octavo continuam & citra ullam interruptionem habuit Patriarcharum seriem, quamvis in eam intrusi interdum ab Imperatoribus fuerint Hæretici Monothelitæ, & Iconoclastæ. Texuimus in præcedentibus Colloquiis seriem Patriarcharum Constantinopolitanorum usque ad *Cyriacum*, qui *Joanni Tejunatori* in Sede Patriarchali Constantinopolitana successit anno DCXV. eamque tenuit, teste *Nicephoro* in *Chronico*, annos undecim, & obiit anno DCVI. *Cyriaco* successit *Thomas I.* qui e vivis excessit anno DCVIII. successorem habuit *Sergium*, qui, ut Monothelitarum Hæresim, qua erat infectus, latius divulgaret, non solum Pseudo-Synodum Constantinopoli coegit, sed etiam composuit *Ecthesim*, seu fidei formulam, & expositionem, in qua dici in posterum prohibebatur tam una, quam duplex in Christo operatio, licet interim in hac fidei expositione diserte asseratur una tantum in Christo voluntas, cujus doctrina omnium Sanctorum Patrum. Hanc tamen fidei formulam, quam proprio Marte fabricavit *Sergius*, non suo, sed *Heraclii* Imperatoris nomine vulgandam curavit, ut hoc pacto majores in Ecclesia tragædias excitare posset. Aliquanto post publicatam *Ecthesim*, seu illam formulam fidei & Pseudo-Synodum Constantinopolitanam ad *Ecthesis* confirmationem celebratam, mortuus est *Sergius* anno DCXXXVIII. postquam annis viginti octo Ecclesiam Constantinopolitanam pessime administrasset. Post Interpontificium unius circiter anni a morte *Sergii*, *Pyrrhus* thronum Constantinopolitanum conscendit, qui statim Constantinopoli collegit Conciliabulum, in quo omnia, quæ a *Sergio* decessore suo, & a *Cyro* Patriarcha Alexandrino in favorem Monothelitarum decreta fuerant, corroboravit. Ast *Pyrrho* hæretico Monothelita Sede Constantinopolitana anno DCXLI. dejecto, successit est *Paulus* hæreticus itidem Monothelita, qui sedit annos tredecim & menses aliquot, vitæque functus est anno DCIV. Demortuo *Paulo*, Imperator *Constantinus* in Sede Constantinopolitanam restituit *Pyrrhum*, qui tamen eodem anno sexcentesimo quinquagesimo quinto extinctus est. Sublato e vivis *Pyrrho* successit *Petrus* pariter Monothelita, qui omnium *Sancti Maximi* tribulationum ac persecutionum auctor fuit ac fautor. Sedit ad annum usque sexcentimum sexagesimum sextum, quo anno defunctus est, & in ejus locum substitutus *Thomas* hujus nominis II. qui Patriarchatum gessit usque ad annum sexcentimum

num sexagesimum octavum, quo anno ei successit *Joannes*, qui, postquam sedisset annos quinque, menses novem juxta Nicephorum in Chronico, obiit anno dclxxiv. Utrumque Patriarcham *Thomam*, & *Joannem* Orthodoxos fuisse, liquet ex Actis sextæ Synodi. At Baronius Acta sextæ Synodi Generalis depravata esse existimans, sibi perperam persuasit, utrumque Patriarcham in Actis sextæ Synodi Catholicum male prædicari. Hæc Eminentissimi Annalium Parentis hæc in re hallucinatio magis patebit ex his, quæ in quarto Colloquio dicturus sum, ubi ostendam, Acta sextæ Synodi Generalis esse indubitata fidei, eaque nunquam fuisse interpolata. Joanni Patriarchæ Constantinopolitano Orthodoxo mortuo anno dclxxiv, successit *Constantinus* Patriarcha etiam Catholicus, qui ut Nicephorus in Chronico docet, sedit anno uno, mensibus octo, diebus septem, & obiit an. dclxxvi. Ei in throno Constantinopolitano successit *Theodorus* Presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ Syn-cellus, & Vidorum custos, sed pessimus Hæreticus Monothelita, qui post duos annos, hoc est, anno dclxxviii. e Sede Constantinopolitana ab Imperatore *Constantino Pogonato* dejectus est (a), & in ejus locum subrogatus *Georgius*, qui Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuit usque ad annum dclxxxiii. quo anno mortuus est, & *Theodorus* antehac depositus in Sedem Constantinopolitanam restitutus est, seditque post suam restitutionem, ut scribit *Theophanes*, annos tres, & pervenit usque ad annum dclxxxvi. In *Theodori* locum electus est Patriarcha Constantinopolitanus *Paulus* Laicus, & Imperatori a secretis, cui *Theophanes* septem annos tribuit, quod etiam in Tabulis ejus Chronico insertis legitur. Quapropter obiit anno dxciii. præfuit hic Patriarcha Synodo Trullanæ, quæ dicitur *Quinifexta* celebrata anno dxcii. Post mortem *Pauli*, Sedi Constantinopolitanæ præfatus est *Callinicus*, qui, ut legitur tam in Chronico *Nicephori*, quam in Chronico *Theophanis*, sedit annos xii. hoc est, ab anno dxciii. usque ad annum dcccv. quo anno a *Justiniano* in Imperium restituito oculis orbatus *Callinicus* Romam in exilium missus est, eo quod adhaesisset *Leontio*, qui *Justinianum* Imperatorem a solio dejecerat, & *Chersonam* relegaverat. Amoto *Callinico*, Sedem Constantinopolitanam obrinuit *Cyrus*, qui sedit annos sex, idest, ab anno dcccv. usque ad annum dcccxi. quo anno ab Imperatore *Philippico* e Patriarchatu Constantinopolitano dejectus ad suum Monasterium redire compulsus est. *Cyrum* in throno Constantinopolitano excepit *Joannes*, quem alii cum *Baronio* Monothelitarum antesignanum appellant, alii vero, cum *Combessio* in Historia Monothelitarum, & *Pagio* in Critica *Baronii* eum a Monothelitarum Hæresi vindicant. Sedit *Joannes* annos tres, & mortuus est ann. dcccv. eodem anno Sanctus *Germanus* Cyzici antea Episcopus ad thronum Constantinopolitanum evectus est. Synodum Constantinopoli coegit contra Monothelitas. Sacrarum Imaginum cultus fuit acerrimus propugnator. Unde *Theophanes*, & alii

Historiæ Bizantinæ Scriptores, Græcorumque *Menza* narrant, hunc eximium Patriarcham, cum *Leonis* Imperatoris sacrarum imaginum everforis pertinaciam frangere haud posset, depositus in Altari superhumerali, idest, Pallio, Episcopatu sponte cessasse, atque in Monasterium se recepisse. Rem tamen aliter narrat *S. Damascenus* in *Oratione secunda de Imaginibus*, ubi aperte inquit, *S. Germanum* non sponte cessasse Episcopatu, sed a *Leone* Imperatore Sede pulsum, & in exilium missum fuisse. Sic enim loquitur *S. Damascenus* juxta versionem doctissimi nostri *Lequien*: *Nunc quoque B. Germanus tum vita, tum dicendi gratia resplendens, plagis affectus exulat, cum pluribus aliis Episcopis, quorum nomina ignota nobis sunt: non ne hoc predicatorum est? Sancto Damasceno* favet *Scriptor Vitæ Sancti Stephani junioris Martyris*, ubi testatur *S. Germanum* a *Leonis* Imperatoris Satellitibus pugnis, & conviciis throno fuisse deturbatum. Huic auctori jungunt eruditi *Bollandi* continuatores *Constantinum Pium* in Paphlagonia Episcopum, qui inventionis reliquiarum *S. Euphemie* Historiam texens, de *S. Germano* ait: *Quamobrem Sanctissimum Patrem nostrum vita, & sermone confusantem, Sede ejecit*. Sede itaque dejecto, & in exilium ablegato *S. Germano* Episcopo Constantinopolitano, *Leo* Imperator hominem suæ sectæ, *Anastasium* videlicet Hæreticum Iconoclastam in Sedem Constantinopolitanam intravit anno in eunte dcccxxx. Huic *Anastasio* *Nicephorus* tribuit annos xxi. sed verius auctor *Tabularum*, quæ *Theophani* insertæ sunt, ei tribuit an. xxiv. quapropter, cum *Anastasio*, ut mox diximus, Sedem Constantinopolitanam anno in eunte dcccxxx. invaserit, necesse est, eum in vivis esse decessisse anno dccciiii. *Anastasio* successit *Constantinus* antea Monachus, & Episcopus *Syllei*, ut *Nicephorus*, & *Theophanes* habent. Sedit annos tredecim, & obiit ann. dcccxlvi. post illius obitum *Nicetas* a *Sclavis* originem ducens Eunuchus suffragio *Constantini Copronymi* Imperatoris consecratus est Patriarcha Constantinopolitanus, seditque usque ad annum dcccxxxiv. quo anno ad thronum Constantinopolitanum sublimatus est *Tharastus*, Vir Sanctissimus, qui professionem fidei suæ misit ad *Hadrianum* hujus nominis I. Pontificem Maximum, & statim sacrarum Imaginum cultus restaurandi zelo accensus appulit animum ad celebrationem Concilii Generalis, cujus sola auctoritate profligari poterat Iconoclastarum Hæresis tot annorum diuturnitate roborata, tot locis longe lateque diffusa. Sedit *Tharastus* annos viginti duos, ut testatur *Ignatius* Diaconus *Magnæ* Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & dein *Nicææ* Metropolitanus in ejus Vita cap. xi. ubi etiam narrat varia miracula ad illius Sepulchrum peracta. Quare, *Tharastus* Ecclesiam Constantinopolitanam rexit usque ad an. dcccvi. quo ad Deum migravit. Sub hoc Patriarcha Constantinopolitano, Impe-

Imperantibus in Oriente *Irene*, & *Constantino* ejus filio, habita est anno dcccxxxvii. Synodus septima Generalis, quæ dicitur *Nicæna secunda* contra Iconoclastas Hæreticos, qui sacris Imaginibus satagebant. De qua Synodo, sicut & de aliis Conciliis tam Generalibus, quam Nationalibus, quæ in sæculis septimo, & octavo fuerunt in Ecclesia celebrata, late in quarto Colloquio disseremus.

“(a) *Theodorus* Constantinopolitanum episcopum Monothelitis favisse nemo negat; sed & nemo etiam, præter *Baronium*, asserit hæresis hujus odio e sede Constantinopolitana fuisse dejectum; quare non desunt viri docti cum *Pagio* opinantes sponte illum ex episcopatu cessisse, nullo, nec Imperatore ipso *Constantino*, cogente. Secessionis hujus causa fortasse fuerit, quod cum faveret Monothelitis, si veluti Patriarcha Synodo tunc imminenti assidere cogentur, vel damnasse Monothelitas una cum ceteris opus fuisset, vel se periculo vitæ exposuisset. Ut igitur imminens procellam evaderet, dignitatem abiecit.

COLLOQUIUM III.

De Sectis, & Hæresibus, quæ sæculis septimo, & octavo Ecclesiæ emerferunt.

D. CUM in isto Colloquio de ortu, progressu, atque interitu Sectarum, & Hæresum, quæ in sæculis septimo, & octavo Ecclesiæ prodierunt, sermonem instituere debeamus, ordo doctrinæ postulat, ut ab his Sectis, & Hæresibus, quæ sæculum septimum infestarunt, initium ducamus; dein, ad illas progrediamur hæreses, quæ octavo Ecclesiæ sæculo eruperunt. Mox itaque, si placet, recense & expone Sectas, & Hæreses, quæ obortæ sunt septimo Ecclesiæ sæculo.

M. Septimo Ecclesiæ sæculo ex inferno prodierunt impia Secta, quam proculdubio *Mahometes* impostor post homines natos maximus, & duæ Hæreses, quarum una dicitur *Paulicianorum*, altera *Monothelitarum*, quæ latissime propagata, & Imperatorum patrocinio fulta, diu multumque afflixit Ecclesiam.

D. Quanam est origo, & doctrina sectæ Mahometanæ.

M. Secta Mahometana incepit anno sexcentesimo vicesimo secundo, Auctore *Mahomete*, seu *Mahumede*, qui hoc anno impiam suam cepit spargere doctrinam, indeque crevit, ac magnopere amplificatum est ipsius Regnum in Oriente; quodque magis deplorandum est, ejus Sectarii, seu Saraceni, ipsas quoque Hispanias anno septingentesimo decimo quarto ingressi sunt, & ibi fuerunt appellati *Mauri* a proximo portu, e quo solverunt, cum in Hispanias venirent, quod Regnum diu occuparunt. & in ea suam tyrannidem exercuerunt. Hierosolymam etiam, ut jam observavimus, iidem Saraceni Mahometis Sectarii expugnarunt, anno sexcentesimo tricesimo septi-

mo, eamque tenuerunt usque ad finem undecimi sæculi, hoc est, usque ad adventum Latinorum in Orientem, a quibus expulsi sunt Saraceni, & Christiana in his plagis resorere coepit Religio. At, Latinis sub finem duodecimi sæculi a *Saladino* Egypti Sultano debellatis, & ab Oriente secedere coactis, iterum hæc pestis, Mahometana dico, totum Orientem longe lateque corripuit, & etiamnum (proh dolor) misere devastat. Enim vero, ut obiter dicam, tamen in Oriente superstitibus adhuc sunt aliqua Christianorum Ecclesiæ, quam misera tamen sit illarum conditio, & quam depravata sit avitæ doctrinæ Confessio, ex eo vel maxime intelligi potest, quod decem sunt genera Christianorum, qui hac illac dissipati Orientem incolunt. Quorum *Primi* sunt Latini, qui Romano Pontifici Christi in terris Vicario, ut par est, obediunt, & Catholicæ Ecclesiæ dogmata amplectuntur. *Secundi*, sunt Græci Schismatici, qui Patriarcham Constantinopolitanum pro suo Capite agnoscunt. *Tertii*, sunt Indi, seu Æthiopes, qui parent *Presbytero Joanni*, qui vulgo dicitur *Prete Jean*. *Quarti*, sunt *Jacobitæ*, qui & *Coptitæ*, qui una cum Baptismo circumciduntur, & unam tantum in Christo naturam admittunt. *Quinti*, sunt Nestoriani in Tartaria, & India, qui duas in Christo personas reponunt. *Sexti*, sunt *Maronitæ* in Syria, & Phœnicia, qui sunt Monothelitæ, seu, unam in Christo voluntatem, divinam videlicet, profitentur. *Septimi*, sunt *Armenii*, qui suum habent Præsidem, cui obtemperant, & quem Catholicum appellant. Sunt tamen alii Armenii, qui a Religiosis Ordinis Sancti Dominici ad Fidem Catholicam adducti, subduntur auctoritati Romani Pontificis, & ab Archiepiscopo ex eodem Ordine assumpto hæctenus reguntur. *Octavi*, sunt *Georgiani*, qui *Mediam*, *Persidem*, & *Mare Caspium* habitant, atque Græcorum lingua & ritibus utuntur. *Noni*, sunt *Soriani*, sic dicti a *Sur* Civitate Assyriæ, qui in plerisque sequuntur Græcorum Religionem, & alias appellantur Samaritani. *Decimi*, sunt *Mozarabes* in Arabia, qui in multis consentiunt cum Ecclesia Romana. Ex his tot sectis, in quas in præsentia miserum in modum Christiani in Oriente distracti sunt, facile, inquam, colligitur, quam deplorabilis sit illorum in his locis conditio, quam late dominetur impia secta Mahometana, & quam denique funestam cladem Christianismo intulerit *Mahometes* scelestus impostor, dum novam inexit Religionem, suamque detestabilem publicavit doctrinam, quam congestit in peculiarium librum, quem arabice nuncupavit *Alcoranum*, idest, *Volumen Præceptorum*, cujus compositioni tredecim annos impendisse dicitur, & quem tamen Cælo tanquam sibi delapsum ubique venditavit. In nova sua Religione struenda *Mahometes* consortes habuit Judæum, & Monachum, quem Sanctus *Damascenus* in libro de Hæresibus *Arianum* fuisse scribit, *Nestorianum* alii, *Ricoldus* ex Saracenorum utique scriptis, *Jacobitam* esse affirmat. Ut ut sit, constat Judæum in cu-